



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Spiridion Ep. 12. Decembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

## S. SPIRIDION EP. 12. Decembris.

SPIRIDION ex opilione Cypri Episcopus, non vitæ conditionem sed gregem mutavit, omnes pascere sollicitus, pauperes præsertim. Itaque serpentem mutasse in aurum fertur, quò egenti esset, unde frumentum coemeret. Alio item tempore cum avari animum nullis precibus expugnare civis indigens posset, SPIRIDION huic discretis verbis in crastinum annonam spondit. Neque aliter factum quam dictum. Aquarum alluvio avectum ex Enclionis granario frumentum ad ipsas inopis ædes detulit, nullo nec rei nec vecturæ pretio. In fures etiam non minus beneficus quam comis fuit: Nempe cum gregem hi direpturi advenissent, & arcana Numinis vis ligatos omnes SPIRIDIONI tradidisset, exsolvit hic officiosus & viæ comitem abeuntibus ultro ambulare arietem iussit. Porro filiam, quam, dum olim in matrimonio ageret, sustulit, ut defuncta depositum aurum indicaret, tantisper è tumulo evocavit. Sed & alium morte sublatum vitæ & matri reddidit, mox matrem filio etiam, cum hæc gaudio emortua esset. Ultimùm cum in messe occupatum æstus gravior affligeret, ros celo illapsus recreavit, simul alii capilli albescere, nigrescere alii, alii denique canescere

nescere visi sunt. Hos ille ut mortis prodromos accepit, post quàm illum laudibus omnis ætatis homines magnaturus essent. Tu etiam discere hinc non senes modò, sed & juvenes, quin vix natos capillos emori. *Ex Suario.*

8. LVCIA V. ET M. 13. *Decembris*

SI virgo è cælo sidus lucet, LVCIAM esse credidero virginittatis laude præ aliis illustrem. Hæc dum cum matre agrâ ad tumbam D. Agathæ precatur, adest ecce hæc ipsa sanitatis primò nuntium matri ferens, tum LVCIAE mortis optatissimæ & pro Christo subeunda. Sic igitur moritura LVCIA omnium primò testamentum cogitat, & pauperes non jam scribit sed facit heredes. Id enim verò non ferendum ratus LVCIAE sponsus, queritur apud judicem, & sponsæ dotem sibi clamari debere; hinc demum agnoscit in amoribus non se, sed Christum esse. Mox igitur amoris ira successit. Dei nupta lenonibus traditur, mancipiis amoris prostituenda. Sed nequeunt mille manus unam virgunculam, nequeunt funes & plura bouum juga de loco, minus de proposito casto dimovere. Ergo sarmata congeruntur, rogi accenditur. Sed lucet pulchrius ignibus suis LVCIA. Gladio traiecit; sed vivit virgo & viros animat, & è flammis Imperatori-

X x tori-